

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Heinrich Theodor Pagenstecher


**Henrici Theodori A. A. F. Pagenstecher, De Puteali Libonis Oratio : Dicta Publice  
Ipsius Nonis Sextilibus, Cum Ordinariam Juris Professionem In Regia  
Duisburgensi Academia Solemniter Auspicaretur**

Duisburgi Ad Rhenum: Typis Johannis Sas, Anno MDCCXXVIII

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1689987529>**

Druck    Freier  Zugang





Te-1733.





HENRICI THEODORI A. A. F.  
PAGENSTECHER,

De

P U T E A L I  
L I B O N I S  
O R A T I O ,

DICTA PUBLICE  
IPSIIS NONIS SEXTILIBUS,  
CUM ORDINARIAM JURIS  
PROFESSIONEM  
IN REGIA DUISBURGENSI  
ACADEMIA  
SOLEMNITER AUSPICARETUR.



DUISBURGI AD RHENUM, 60  
Typis JOHANNIS SAS, Academiz Typographi,  
Anno MDCCXXVIII.

Fe-1733.



REGIAE DUISBURGENSIS ACADEMIAE  
CURATORIBUS,

NATALIUM AC DIGNITATUM SPLEN-  
DORE MAXIME INCLYTO

H E R O I ,

**J OHANNI  
SIGISMUNDO,**

S . R . I . LIB BARONI  
DE H E Y D E N ,

ORDINIS AQUILAE NIGRAE  
ET S . JOHANNIS EQUITI ,

COPIARUM PEDESTRIUM  
POTENTISSIMI BORUSSIAE REGIS  
G E N E R A L I ,

ILLUSTRIS REGII CONSILII , CUI CLIVENSIS  
ET MARCANAE PROVINCIAE REGEN-  
DAE CURA DEMANDATA EST ,

PRIMO PRAESIDI ,  
MUNIMENTI VESALIENSIS  
G U B E R N A T O R I ,

C A E T E R A .

HEROI PIO, FORTI, FELICI.

HABITACULA FUT ET  
MAGNIFICO ATQUE AMPLISSIMO VIRO,  
**F R A N C I S C O**  
**D E M O T Z F E L D ,**  
JURECONSULTO,  
ILLUSTRIS CONSESSUS, CUI JUSTITIAE  
IN HAC ET VICINA CIVITATE  
VICE REGIA DISTRIBUENDAE PROVINCIA  
COMMISSA EST,  
D I R E C T O R I .  
NEC NON  
AMPLISSIMO CONSULTISSIMOQUE VIRO,  
**P A U L O L U D O V I C O**  
**T U R C K ,**  
POTENTISSIMO BORUSSIAE REGI  
A CONSILIIS AULAE,  
URBIS DUISBURGENSIS PRAETORI.  
LITERARUM AC LITERATORUM  
MAECENATIBUS NON UNO NOMINE  
SUSPICIENDIS, COLENDIS,

Meorum in hac Academia laborum primitias,  
Orationem DE PUTEALI LIBONIS Inauguralem,  
debita cum veneratione

HENR. THEODORUS PAGENSTECHER  
*L. M. Q.*  
DEDICO ET CONSECRO.



I. N. D. N. J. C.  
HENRICI THEODORI PAGENSTECHER  
De  
**PUTEALI LIBONIS**  
**ORATIO INAUGURALIS.**

**P**ostquam, ad evitanda statum naturalem concomitantia mala, in societas civiles coivere mortales, ipsa horum corporum conditio & optimus omnium rerum magister usus edocuere, *Legibus* ad fundandam conservandamque civitatem opus esse, ad quas singula civitatis membra actiones suas componerent. Alias enim, si in tanta voluntatis humanae libertate tantaque inclinationum ac studiorum diversitate, quin & pravitate morum, quisquis, citra respectum ad certam

A

certam

certam normam, ageret quod ipsi in mentem veniret, non posset non maxima inde confusio oriri.

Verum cum non sufficiat, Leges esse, nisi & sint, qui jura regere possint & per quos effectus rei accipiatur: *Quae enim Legum erit utilitas, si in literis dumtaxat consistant, non etiam per ipsa facta atque opera subdatis utilitatem de se praebant?* & vero cum amplae civitatis negotia ab uno homine, sine aliorum ope & ministerio, facile exigi nequeant; necessum fuit insimul, constitui *Judices ac Magistratus*, quibus hoc quidquid est negotii demandaretur & per quos civium caussae controversiae, supremae nomine majestatis, examinarentur ac deciderentur. Ut non inepte dixerit, qui dixit, Legem esse Magistratum mutum, Magistratum vero Legem loquentem.

Et igitur cum tanta sit Magistratum inter & Jus, sive, Leges relatio, ut unum altero, societas vero civilis utroque indigeat; adparēt, Legibus receptis non singulis tantum civibus, sed & illis, qui Juri reddendo praepositi sunt, absolute obtemperandum esse. Recte D. Augustinus libro de Vera Religione, *postquam leges*

ges latae sunt, inquit, judici non de ipsis, sed secundum ipsas judicare licebit. Apud Romanos ideo solemniter jurare debebant, ex animi sententia secundum leges se judicaturos, plerumque apud aram, in Comitio positam, quae PUTEAL LIBONIS dicebatur.

Atque hoc est, Audd. O. O. H., idem illud Puteal Libonis, cuius nunc quidem rationem paulo latius exponere, in animum induxi meum. Si enim ego hanc mihi a Patribus Academiae Conscriptis destinatam atque ab Augusto ac Potentissimo REGE, REGE ac Domino nostro longe Clementissimo, Clementissime demandatam Juris docendi dicendique provinciam hodie tam solemni jurejurando suscepi; Si res est (est autem) tum variarum observationum genere rarissima, tum propter venerandam Antiquitatem maxime commendabilis; non video sane, quod argumentum aut huic diei, aut muneri meo, aut huic tam illustri Auditorio convenientius esse queat? Vereor tantum, ne nimiae me quis fortean jure merito temeritatis arguat, qui, post tot doctissimorum Virorum, Fulvii, Scaligeri, Salmasii, Spanhemii, Puteani, Raevardi, Perizonii, aliorumque ob-

A 2

serva-

servationes, heic aliquid tentare & post Homerum (quod dicitur) Iliada canere videri velim: nisi illud mihi certe persuadeo, naturam non esse adeo effetam, ut non & dies & usus saepe aliquid adportet novi; aut (loquar quam mollissime) Apes imitari conabor, quae ex optimis quibuscumque floribus in medium quaefita reponunt. Verum enim vero alia est, quae animum meum gravius adficit, sollicitudo. Si enim hunc tam illustrem honestissimum Virorum confessum considero, si illos non alia nisi summorum heroum voce resonare solitos circumspicio parietes, si Cathedram hanc denique adspecto solam, ex qua totiens p. m. Parens meus (liceat Ciceronis *Appeitatem* imitari) Pagenstecheritatem ostendit suam; quem non mihi, homini minus versato, quem non mihi horrorem accidere putatis? Sed unicum mihi est in vestra, Audd., humanitate praefidium positum. Vos rogo atque obtestor, ut tenuitatem meam atque in dicendo infantiam vestra sublevetis benevolentia, ut ita, quod a se non habet, a vestra adquirat humanitate qualiscumque Oratio nostra.

Quod ad *Nominis* igitur, ut ab eo initium  
ducam,

I N A U G U R A L I S.

ducam, caussam attinet, Puteal in genere a  
*Puteo* dicitur, nihilque aliud est quam *operculum putei*. Huic convenienter Libonis nostri  
 Puteal ab eo dictum videtur puteo, in quo tem-  
 poribus Tarquinii Prisci, quinti Romanorum  
 Regis, Accii Navii Auguris novacula cum cote  
 defossa fuit, cui Puteal impositum. Rem to-  
 tam reliquam nobis fecit Romanae princeps  
 Historiae *Titus Livius* & post eum, sed paulo  
 aliter, *Dion. Halicarnassus* & *L. A. Florus*.  
 Differentia in eo est, quod Livius discissam co-  
 tem ab Augure; reliqui, a Rege, referant.  
 Est tamen parvus, sed Graeco homini condo-  
 nandus, error, quod Puteal sua lingua φέας νο-  
 cat: Καλεται δε φέας (inquit) ο τόπος υπό των Ρωμαιων.  
 Cum puteal non φέας sit, sed potius πωμα τη φρεστος:  
 id quod & Glossae veteres adstruunt, in quibus  
 vocatur ερος τοπος περικλειμενος, atque iterum, ερε  
 φεγυμ.

Dicitur aliquando simpliciter *Puteal*, sed  
 plenius *Puteal Libonis*, sive, *Puteal Scribonii*  
*Libonis* & *Scribonianum* a Festo. Et Gens qui-  
 dem *Scribonia* apud Romanos plebeja licet,  
 honoratissima tamen fuit, habuitque duas Fa-  
 milias, *Curionum* alteram, alteram *Libonum*.

A 3

In

In qua posteriore Libonum familia fuit *Lucius Scribonius Libo*, Tribunus plebis, qui Ciceronem, ut ipse auctor est, aequalem habuit. Fuit ejusdem nominis alter, qui Consulatu sub Augusto una cum Antonio functus est a. u. c. 719. quemque Sexti Pompeii sacerum fuisse, scribit Dio. Hic auctor fuit Jurisconsultorum filii, aut saltem patribus eorum, notae *Legis Scribonianae*, quae Servitutum usucaptionem biennalem, Jure Civili, sive, Media Jurisprudentia, contra jus antiquum introductam, sustulit & unius nobis Pauli diligentia adservata est. Fuit denique alias adhuc, hujus secundi filius, *L. Scribonius Libo*, qui sub Claudio Tiberio Imperatore una cum Statilio Tauro consul fuit, a. u. c. 769. Cui debetur celebre apud Jure Consultos *Senatus Consultum Libonianum*, quo cavitur, ne quis sibi, vel ei, quem in potestate habet, in testamento legatum, vel aliud quid, adscribat, nisi in poenam Falsi, tamquam criminis publici, incurrire velit. Qualis nunc fuerit iste Scribonius Libo, a quo Puteal nostrum nomen habet, haec tenus non habeo compertum; licet nonnullos, videam, ad Libonem illum, auctorem *Legis Scriboniae*, quem medio

dio loco memoravi, referre malle. Qualis-  
cumque fuerit, Festus docet, *Scribonio negotium  
datum fuisse a Senatu, ut conquereret Sacella  
ad tacta, eumque illud procurasse*; ut sciamus,  
scilicet, veram extruendi cauflam fuisse *Fulgor  
conditum*.

De *Loco* forte certius constat. Gradatim  
ibo & digito ostendam. Fuit autem Puteal in  
octava regione Urbis, quae *Forum Romanum*  
dicitur; id quod ex *S. Rusi*, *P. Victoris* &  
*Onuphrii Panvinii* descriptionibus urbis Romae  
adparet. *Romanum* forum vocatur, ad distin-  
ctionem aliorum. Tyronibus notum est, tri-  
plex potissimum forum fuisse, civilibus nego-  
tiis tractandis comparatum, *Romanum*, *Caesa-  
ris* & *Augusti*, secundum illud Martialis ad Sex-  
tum quemdam:

*Caussas, inquis, agam Cicerone disertius ipso*

*Atque erit in triplici par mibi nemo foro.*

Sed prius tamen illud, sive, *Romanum* forum,  
quod *Magnum* quoque, *Vetus* ac *Latinum* vo-  
catur, praeceteris ornatissimum fuit propter  
aedificia & propter judicia frequentissimum.  
Unde per eminentiam quoque simpliciter *Fo-  
rum* vocatur, ut apud *Venusinum*:

*Forum*

*Forum Putealque Libonis  
Mandabo siccis.*

Heic si paullulum progredimur, alia aliis adhaerentia & consequentia videmus; heic Rostra, ubi Leges proponebantur, agebantur caussae & conciones ad populum habebantur; heic Basilicas, Porticus, Templa; tum Capitolum ipsum & in eo Templa; tum Palatium, Liviæ ambulacra, Ludos Literarios & alia ornamenta quam plurima. Sed non audeo Vobiscum vel in haec fastigia adscendere, vel Fori qua late patet peristylis obambulare. Tempus non patitur. Qui cupidus videndi est, duces sibi quaerat viros omni antiquitate celebrissimos, Jo. Rosinum, Justum Lipsium, Georg. Fabritium Chemnicensem, & qui plures sunt. Sufficiat nobis hac vice, Puteal Libonis, cuius caussa egressi eramus, in Foro Romano spectare.

Scilicet, quo major judiciis conciliaretur auctoritas, Antiqui noluere, jus redi in tricliniis, neque privatos inter parietes, sed in locis multo ritu consecratis ab Auguribus, quae Templa ideo vocabantur; Attici, in Areopago; Hebraei, in Portis; hodierni nonnulli populi, in Aedibus Sacris; sic & Romani quamplurimum

mum in loco publico, in Foro (ut dixi) Romano judicia peragebant. Et ecce! hic in *Comitio* est. *Salmasius* equidem, *Spanhemius* aliquis, Puteal, sub quo Navii novacula defossa, cum Scriboniano haud confundi debere, sed utrumque plane diversum: illud prope Curiam, istud prope Atrium Minervae: illud gladiatorio munere D. Julii sublatum fuisse, istud autem ad extrema Imperii Romani tempora durasse, contendunt. Verum cum in Descriptionibus Urbis Puteal illud Navii in Comitio fuisse, locus tamen eidem in Comitio haud adsignatus, adsignatus vero ibidem Libonis Puteali legatur, magis est fere, ut antiquam sententiam sequamur atque unum fuisse idemque utrumque illud Puteal, statuamus. Sunt adhuc alia argumenta, quae sententiam nostram probabilem dicam? an certam, reddunt, hac ipsa tempestate producta a Viro Clarissimo Libro singulari de jurejurando *Veterum in primis Romanorum*; quae, ne dicta dicere videar, sciens praetereo, illinc (merentur enim) repetenda. *Comitium* autem (rem notam loquor & pervulgatam apud omnes) Foro conjunctum, immo pars Fori erat, sic a coeundo, sive, ut Veteres loquebantur, a

B

com-

*comeundo dictum, quod foedus ibi, Plutarcho teste, Romulum inter ac Tatium Sabinorum Regem percussum fuit; sive, quod Populus Comitiis Curiatis, postea etiam Senatus Populusque Romanus, si quid ex usu Rei publicae decernendum erat, illuc convenire solebat.*

Hactenus recte! & pergere volebam; sed remoram injicit *Sextus*, quem supra laudavi, *Rufus*, Puteal medium collocans inter *Senaculum aureum* & *Comitium*; quæ pugnantia esse videntur: neque enim medium inter haec esse potuit, si in ipso fuerit Comitio. Verum non est haec quanta videtur difficultas! Livius docet, IN GRADIBUS tantum COMITII fuisse, AD LAEVAM CURIAE HOSTILIAE, sive, ut Asconius id effert, propter *Senatum*. Unde tam in Comitio, quam extra illud fuisse, dici potest, quemadmodum voces mox late, mox etiam stricte sumi, in vulgus notissimum est.

Finita sunt aliqua, nondum tamen omnia designati loci incommoda. Adhuc enim, quod de Puteali ipsoque adeo Comitio, ad *Laevam Curiae* posito, dixi, recipit dubitationem ex eo, quod Varro ad *Dextram* collocat. Sed salvam rem faciet diversa ipsius consideratio.

Qua

Qua Forum spectavit Curia, ad Laevam habuit Comitium, & sic ad Laevam fuit omnibus e Curia in Forum descendantibus; Qua vero ad Viam Sacram, & sic a parte adversa adspectatur, oportet sane ad Dextram habuisse Comitium.

At videre mihi jam videor omnium oculos in ipsam Putealis *formam* defixos, omniumque animos, ipsius admirabilis & elegantissimae struturae consideratione, tantum non extra se positos esse. Conspicitur scilicet in forma, non *Domus* aut *Tribunalis*, quod vetus Horatii interpres scribit, sed *Arae* alicujus: in forma autem Arae longis Sertis Coronisque circumdatae, tum & Citharis nonnullis exornatae. Ad quid haec autem? In genere, inter omnes quidem, quotquot venerandae antiquitatis vel e longinquo salutarunt anabathra, illud facile constat, non Serta tantum Coronasque, sed & Citharas aliaque instrumenta Musica in sacris, festivitatibus publicis & solemnibus actibus adhibita fuisse; sive, quod sic Deorum iras placari crederent, ut apud Lyricum:

*Et thure & fidibus juvat*

*Placare, & vituli sanguine debito*

B 2

*Custo-*

*Custodes Numidae Deos.*

Sive, quod nullum Deo opus convenientius,  
quam harmoniam & symphoniam judicarent:  
Judeos quoque ac veteres Christianos, quod  
& hodierna Ecclesia tenet, in vero Dei cultu  
Musicis usos fuisse, ad inflammandos devotio-  
ne ac pietate animos, quis Nostrum ignorat?  
Sed nondum me omnem rem absolvisse, credo.  
Nam licet ita, ut dixi, & Coronationes & Mu-  
sica adhibita fuerint; licet etiam Deorum aras  
fertis saepe coronisque circumdatas videamus;  
*Lyrae* tamen *Citharaeque* ad pictum ornamen-  
tum ostendit forte, esse & hic aliquid, quod in-  
teriorē condidit cura angulo. Proximum erit  
forte, dicere, Aram hanc *Apollini*, Musices in-  
ventori, dedicatam fuisse. Apollini autem,  
quia is pro *Sole* ab Antiquis habitus fuit, id quod  
omnia illa, quae Apollini vulgo tribuuntur,  
Soli quoque mirifice convenientia, luce clarius  
ostendunt. At si Apollo ergo ita pro *Sole* ha-  
bitus fuit, quid aptius, quaeso, quid conve-  
nientius judicialibus negotiis, in quibus Puteal  
nostrum locum obtinuit, quam Apollinis in-  
vocatio? illius, inquam, invocatio Apollinis,  
qui, secundum stultam Gentilium opinionem,  
tecta

recta maxime & coram hominibus occulta solus numine suo indicare potest?

Enimvero sicut ipsum Comitium ad hoc quoque comparatum fuit, ut caussae controversae ibidem disceptarentur, sic usus putealis nostri judicialis fuit, dum & Judices & utraque pars litigans cum Advocatis suis, quam Comitium ingrederentur, ante ad hoc Puteal leviter declinare ibidemque solemniter jurare solebant.

Caussarum equidem Patroni tempore liberae Reipublicae jurisjurandi religione non obstringebantur, sed neque uterque Reus, verum eorum alter & in certis caussis tantum. Justinianus autem tum Advocatos, de caussa omnifide ac integritate peroranda, immo (quod periculo tamen non caret) de ea deserenda quoque, ubi certamine procedente improbam esse animadverterint; tum utrumque litigatorem in omnibus caussis initio litis calumniam jurare jussit: cuius jurisjurandi uti initia ab αντωμοσα, sive, reciproco Graecorum jurejurando, recte repetuntur; ita capitibus ejus singulis vel enarrandis, vel explicandis, cum non sit hujus temporis, lubens supersedeo.

Judices vero apud Romanos jurare solitos

B 3

fuisse,

fuisse, ex Ciceronis in Verrem prima, tum & ex aliis Auctoriibus abunde constat. Exemplo, scilicet, iterum Atheniensium, apud quos *Judex jurabat, se laturum sententias secundum leges; neque munera accepturum; pariterque aetorem & reum auditurum; & pronuntiaturum de ea re, de qua proprie actio esset instituta.* Et veluti solemnes caeteroquin erant jurandi formulae, per Deos immortales, per Jovem *Lapidem*, per vitam perque caput suum liberorumque, nec non per *Genium Principis*, similesque; ita Judicum aequem, ac alii omni jurjurando, adjungebantur haec verba: EX ANIMI SENTENTIA!

Sic patet, quorsum respexerit Justinianus, in Codice suo ita scribens: *Cui enim non est cognitum, inquit, antiquos Judices non aliter judicalem calculum accepisse, nisi prius Sacramentum praestitissent, omnino se cum veritate & Legum observatione judicium esse disposituros?* Est hoc idem illud caput, quo & ipsum Justinianum praeterea sancire, videmus, omnes Judices, sive maiores sint, sive minores, in singulis caassis, lite apud ipsos contestata; in Leges jurare debere, id est, non aliter judicatueros, quam

quam Legibus proditum sit.

Praetores olim non judicabant ipsi , aut , si extra ordinem caussas cognoscerent , non jurabant tamen . Sed postea , abrogata Judicis dandi potestate , ipsimet judicare ( quapropter antiquo nomine suo *judices* quoque vocati ) & tam ipsi , quam alii Magistratus majores , aut Praetoribus majores , in Leges jurare jussi sunt .

Irnerius equidem , vel quisquis is est Authenticarum compilator , id posterioribus Justiniani Constitutionibus immutatum esse , adserere videtur , dum , *Hodie* , ait , eos jurare secundum quod visum fuerit *justius* & melius ; Defensores vero Civitatum jurare , se omnia secundum *Leges* & *jura facturos* . Quae Pallas isthoc Viro Jurisconsulto in mentem miserit , videmus , quasi ex composito admirari Irnerio mastiges , eo amplius censentes , in excerpta hac Authenticâ dormitasse bonum Homerum ; tum , quod in Novellis Justiniani modo laudatis de jurejurando agatur non eo , quod a judice in singulis caussis , quo de Lex Codicis loquitur ; sed quod ab eo , qui praefecturam Provinciae , v. c. vel aliam administrationem capessit , initio muneris praestatur ; tum quod ex ipsis Novellis

vallis Justiniani contrarium omnino adpareat, in quibus Administratoribus injungitur judicare secundum Leges; secundum id, quod justum est; secundum Legem & omnem justitiam; secundum Legem & jus. Tum denique, quod manifestum involuere νυκλον videatur: Judicare secundum Leges, &: judicare ex bono & aequo, secundum quod visum fuerit justum. Verum enim vero et si postremum forte vel alterum Censurae membrum fundamento non omni destituatur, (nisi fortassis in expressione verborum: *OMNEM JUSTITIAM*: majorem aliquam majoribus magistratis tributam potestatem deprehendi posse, existimare velimus) ita primum membrum contra ipsa Legis verba impingere videtur, quippe quae expresse de judicibus, qui in *Regia Civitate*, tum in aliis quoque orbis terrarum, qua late *Romani Imperii gubernaculis regitur*, partibus in *ADMINISTRATIONE* positi sunt, loquitur. Moribus nostris, ut Judices non in singulis amplius caussis jurant, sed semel tantum in principio accepti cinguli; ita jurisjrandi, Jure Justiniane Novello praescripta, & quatenus per sanctam gloriosam Dei genitricem & semper virginem Mariam & per sanctos

*Etos Archangelos Michäelem & Gabrielem praestanda est, superstitiosa formula nullibi observatur: cum in singulis potius Judiciis suae introductae sint jurandi formulae. Sed quorsum dilapsus sum!*

Quid? sicut jam antiquissimis temporibus apud lapides erectos juratum, quod exemplo *Jacobi ac Labani* foedus percutientium e Sacra docemur Historia; & veluti olim Imperatores Romano-Germanici ad *Thronum Regalem*, in tractu Rhenensi situm, ducebantur, ut ibi jura-rent & privilegia Statibus confirmarent; Sic apud Veteres Romanos, cum *Judicia in Foro & Comitio* exercebantur, quae propterea *Loca Judiciorum* a Modestino vocantur, jusjurandum istud ad ARAM, ad Puteal, inquam, praestari solitum; id quod ex Symmacho quoque celebri Epistola *Sexagesima prima Libri Decimi* eamque subsecuta D. Ambrosii refutatione, liquido probari posse, sunt qui existimant.

Cum enim Gratianus Imperator Aram, ad quam jurari solebat, everti & complanari iussisset, hujus Arae Symmachus ab Imperatori-bus Valentiniano, Theodosio & Arcadio resti-tutionem enixe postulans, sic *loco laudato scri-*

*C* bit:

bit: *Ubi in Leges vestras & verba jurabimus?*  
*qua religione mens falsa terrebitur, ne in testi-*  
*moniis mentiatur? Omnia quidem Deo plena*  
*sunt, nec ullus perfidis tutus est locus, sed plu-*  
*rimum valet ad metum delinquendi, etiam praes-*  
*entia religionis urgeri.* **ILLA ARA CONCOR-**  
**DIAM TENET OMNIUM.** Illa Ara fidem  
convenit singulorum; neque aliud magis auctoritatem  
facit sententiis nostris, quam quod omnia  
juratus ordo decernit. Haec Symmachus. Di-  
vus autem Ambrosius simul atque hujus Arae  
ab Imperatoribus restitutionem intellexit vehe-  
menter Symmachum cum suis postulare, id ne  
fieret, impedire sedulo conatus est, Imperatori  
Valentiniano ad hunc modum scribens: *Si ho-*  
*die Gentilis aliquis Imperator, quod absit, aram*  
*statueret simulacris & eo convenire cogeret Chri-*  
*stianos, ut sacrificantibus interessent, ut opple-*  
*ret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, fa-*  
*villa de sacrilegio, fumus ex busto - - -*  
*- persecutionem esse, crederet Christianus -*  
*- Te igitur Imperatore, Christiani in aram*  
*jurare cogentur? Quid est jurare, nisi ejus, quem*  
*testare fidei tuae praesidem, Divinam potentiam*  
*confiteri? Te Imperatore hoc petitur ac postula-*  
*tur,*

tur, ut Aram jubeas elevari, sumtum sacrificiis profanis dari? Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni. Unde rogo Te, ne id decernas, statuas, vel in hujusmodi decreto subscribas. Haec Ambrosius.

Hanc autem Aram ipsissimum Puteal nostrum, vel saltem in locum ejus repositam & D. Victoriae consecratam fuisse, vel exinde colligi posse, quod Symmachus, Aram, quam restituī postulabat, concordiam tenere omnium, expresse scribit. Atqui reperiri Numismata, Putealis nomen & effigiem, cum facie ipsius Lībonis repraesentantia, & hac inscriptione: *CONCORDIA*. Id enim respicere ad Judicium & Sententiarum Concordiam; tunc & eo, quod illi partes litigantes pronuntiatione sua, quae finem controversiis adfert, in unam debent redigere Concordiam. In nonnullis Numis leguntur haec verba: *BON. EVENT.* Hoc *Bonum Eventum* significat; sententiarum, scilicet, ut Illi volunt, bonum eventum; quo modo *sententiarum eventus vendere*, alibi dixit Julius Paulus.

Audivistis de Ara apud Symmachum *Jacobi Raevardi*, Jureconsulti praestantis, sententiam,

C 2

Audd.,

Audd. , quae utut non una sese elegantiae commendet specie ; malo tamen illos sequi , qui hoc quidquid est rei referunt ad Concordiam dñorum fratrum , *L. Aemilius Pauli & M. Aemilius Lepidi* , quorum in Numis priore loco memoratis expressa leguntur nomina , per adjectam in altera parte Putealis effigiem & Libonis nomen , significare videntium , natales sese suos ad Augusteam referre domum , quod *Scribonia* , eorum avia materna , Imperatoris Augusti Uxor fuerit : siquidem nec novum nec insolens Romanis fuerit , etiam materno genere , quando nobile illud esset & illustre , se efferre & gloriarri.

Utcumque erit , non tantum apud Puteal jurabatur , sed & tangere manu oportebat . Sic Veteres solebant Aras , juraturi . Unde mos , utroque Jure nostro comprobatus , inter Christianos , tangendi SS. Evangelia , data solis Episcopis praerogativa , quod possint jurare Evangelii juxta se positis . Quae ipsa differentia quoque per Auream Bullam Caroli Quarti , Electores Seculares inter & Ecclesiasticos , introducta est . Sed & hinc , peierans , non tangere , sed flagellare Puteal , eleganter Persio Poëtac ,

&amp;

& debitor, qui, peierare timens, occursum fugit creditorum celeresque usurarum Kalendas detestatur, Ovidio, *Puteal Janumque timere celeresque Kalendas*, dicitur.

Et haec sunt quidem, AA. O. O. H., quae de Puteali Libonis sic breviter dicere habebam. Sic videmus & admiramur merito singularem Veterum in Judiciis religionem ac sanctitatem. Res omni sane posteritati in exemplum proposita! Si Judicibus in Leges jurandum est, quid dicendum de iis, quae, qui, omnis licet Juris ignari, contra Leges, quae Juris peritos requirunt, in solium judiciale involant? Quid de iis, qui potestati suae nimium tribuentes, & jus omne susque deque habentes, ex aequitate saepe cerebrina, quae, secundum Celsi adolescentis effatum, *perniciosos errores parere solet*, judicare se posse existimant? Aequitatem sequi debemus: omnino: sed, ubi Durities ex justa caussa, licet nobis incognita, Legibus comprehensa legitur, & Duritiem; ut proinde nullus quoque *Casus*, qui ita vocatur, *pro Amico* in Judiciis admittendus, sed *Casus pro Amico* potius (ne horrescite, Auditores, cum Practicis loquar) *Casus pro Diabolo* adpellandus.

C 3

sit.

sit. Quid? Si Puteal *Apollini*, id est, Soli dedicatum fuit, meminisse sane oportet, quotquot in hac mortalitatis Sphaera juri dicundo praepositi sunt, Judicia non *hominibus*, sed *Deo* teneri, Soli illi justitiae, ante quem, ut Divinus Scriptor loquitur, omnia sunt *μητρα και περιγραφησιν*. Proinde ut in puto quidem est aqua, sed pura tamen atque viva, sic & in illis animus debet esse purus & quietus, nullis adfectuum perturbationibus obnoxius. Elegans est Callistrati monitum, *jus reddentem in cognoscendo neque excandescere adversus eos, quos malos putat, neque precibus calamitosorum inlachrymari oportere: id enim non esse constantis & recti Judicis.* Puteum porro cogitent & incorrupti erunt, mundasque manus servabunt, (ut Justinianus loquitur) *Deo, Imperatori, Legi;* ut solet

*Bonus & fidus*

*Judex honestum praeferre utili, &  
Rejicere alto dona nocentium*

*Vultu, & per obstantes catervas*

*Explicare sua victor arma.*

Puteum cogitent denique, & sobrii erunt atque continentes; immo & veraces erunt, quem  
ad

ad modum veritatem in profundo puteo submersam jacere , Democritus olim respondit.

Sed jam parum abest , quin sermo meus ad finem pervenerit , atque ego vos solemni formula: NEMO VOS TENET! dimittam , Auditores.

Igitur ad Te primum mea se convertit Oratione , MAGNIFICE Senatus populi Academicus PRORECTOR , Vir summe Reverende. Gratias Tibi habeo , quas possum , maximas pro eo , quo me beasti , honore , quod me in munus , nunc a me suscepimus , tam solemniter immittere non dignatus fuisti ;

Sed & Tibi & Vobis , omnium Facultatum PROFESSORES Excellentissimi , mille me non minibus obligatum sentio , qui tam benigne de me studiisque meis sensistis , ut mihi quidem vacantem per abitum Amplissimi ZAUN-SCHLIFFERI in Facultate Juridica stationem communibus calculis vestris destinare haudquam dubitaveritis. Profecto non potest non hoc maximo meo conducere & honori & gaudio , qui in hunc me numerum cooptatum video , in quo fuisse olim , vel nunc Divis adscriptos , vel adhuc aliarum decora Academiarum ,

rum, quorum omnium memoriam aeterna in basi statuet grata posteritas, neminem latet; in illum numerum, in quo adhuc conspicio Viros, vel olim ejusdem mihi Collegii societate, vel nunc adhuc necessitudinis jure conjunctos; omnes autem ac singulos tales, qui conspicua eruditione & nominis sui celebritate illustris hujus Academiae jubar per diversas Orbis plagas ita longe lateque diffundunt, ut haec quidem Academia inter multas alias ita caput extollat suum, veluti Stelllas inter Luna minores. Verum enixe Vos rogo, *Viri Celeberrimi*, qui in numerum me vestrum recipere voluistis, recipite me nunc quoque in consortium ac amicitiam vestram. *Concordia*, quae Putealis mei est inscriptio, si & nostros animos stabili consociet vinculo, quis de *bono* ad *commodum* aliae hujus Universitatis redundaturo *eventu* dubitare queat? Quod ad me attinet, nihil mihi sane hac ipsa gratius erit, nihil antiquius. Idem mihi de Vobis optimo jure promitto. Igitur si plerisque Vestrum aetate, singulis autem eruditione ac experientia cedere necesse habeam, in id tamen (credite mihi) omni cum virium contentione admitar, ne officiorum praestatione

(si

(si Vos vultis) ulli vestrum cedere debeam. Si ita censem, *Patres Conscripti*, si ita vovetis, en Dextram, en Fidem, en hanc Aram!

Vos quoque, devota Musis pectora, cari STUDENTES, in primis nostris initiati Sacris, nunc mihi compellandi estis. Gratulor mihi sane atque in sinu gaudeo, cui sub auspiciis munieris mei tam frequentem & expectatione mea majorem, quam vester numerus efficit, Generorum Ornatisissimorumque Juvenum concionem heic conspicere licet. Omen accipio, mihi que spondeo, in tanta, qua per Dei & Regis gratiam fruimur, libertate inque tanta omnium subsidiorum affluentia, quam & Academiae privilegia, & Curatorum munificentia, & Professorum (de Collegis meis loquor) eruditio, & Urbis denique situs suppeditant, copias hasce successu temporis multo auctiores fore. Igitur veluti vestra praecipue caussa hoc mihi, quod hodie auspicor, munus demandatum esse, scio, ita Vobis quoque quidquid in me est, si quid est, diligentiae aut eruditionis lubens meritoque addico.

Tibi autem, DEUS O. M., qui coelestes domos habes & res humanas tuo regis arbitrio,

D

trio,

trio, quas grates aut quas laudes exhibere de-  
 beam, nec mens mea potest concipere, nec  
 lingua proferre. Adeo Tu me a prima aeta-  
 tula ad hoc usque, quo spiro, caducae vitae  
 tempus, innumeris ornasti, immo onerasti,  
 beneficiis, ut in iis recensendis ipse me nume-  
 rus confundat. Multa mihi quidem immisisti  
 mala ( si malum vocari potest; quod a manu  
 tua provenit ) tum ut me a via devia fortiter  
 retraheres, tum ut constantiam fidemque ten-  
 tares meam: Sed in omnibus tamen tenebris  
 post nubem paterna facies tua identidem pel-  
 luxit mihique blande adrisit. Fidem faciat vel  
 hic ipse dies, vel haec ipsa, qua loquor, hora,  
 in qua me per adorandam Providentiam tuam  
 ad tertiam hanc in Regiis Provinciis eamque  
 sublimiorem Cathedram promotum video.  
 Configio nunc, non ad inane quoddam Gen-  
 tilium Puteal, sed ad veram Salutis Aram, ad  
 Thronum Gratiae, fundatum in sanguine JESU  
 CHRISTI, Filii tui dilecti, Servatoris nostri.  
 Te supplex veneror, illas mihi benigne sufficere  
 velis animi corporisque vires, quae ad partes  
 denuo datas feliciter exsequendas requiruntur.  
 Illustra mentem meam, Sol Justitiae. Da, ut  
   justus

justus sim in omnibus operibus , veluti Tu justus es. Fac , ut omnes conatus mei convertantur ad Nominis tui , nunquam satis laudati , gloriam , ad Academiae hujus utilitatem Rei que Publicae decus ac ornamentum. Ita prospera ac fortuna omnes in hac Academia Docentes Discentesque; Generosissimum atque Amplissimos Curatores ; Illustrem Regium Conselsum , cui hujus atque vicinae Provinciae Regendae cura demandata est ; ipsum denique Regem , Gloriosissimum FRIDERICUM GUILIELMUM. Fac , ut Thronus Ipsius in ea , quam colit , Justitia confirmetur , Sceptrumque per innumeros Nepotes , Ipso adhuc diutissime superstite , ad postremissimam mundi aetatem feliciter transmittatur.

## D I X I.

D 2

IN

( 28 )

IN ORATIONEM INAUGURALEM  
NOBILISSIMI, CONSULTISSIMI  
ET CLARISSIMI VIRI  
**HENRICI THEODORI**  
**PAGENSTECHERI,**  
A. A. F.

*Cætera.*

faCVnDa pVrItate eXponenteM  
pVteaL LlibonIs;

*A. d. V. Sextil. coram frequenti Auditorio solenniter  
habitam Duisburgi Clivorum:*

**Carmen WILH. NEUHUSII,**  
SS. Theol. D. Illiusque Prof. Publ. Ord.

Προτερη.

**PAGENSTECHERUS JURIUM DOCTOR ET  
PROFESSOR ACADEMIÆ DUISBURGENSIS.**

Αναγέν.

ADIBIS SUPREMOS HONORUM GRADUS:  
ECCE PEGASUS TE FERET: ERIS!  
COR DIVINAT.

*Evolutio.*

**E**Loquio calamoque *Forum Putealque Libonis*  
Ponis in aprico, maxima quæque tonans:  
Utpote quæ fuerit Priscis reverentia Legum,  
Quam steterint stabili publica jura pede!

Per-

Per placuere tuae præclara toreumata linguae,  
Ac talarigeri Te stupuere Patres!

Plauerunt omnes, omnes Feliciter, omnes  
Candida lætitiae signa dedere suæ!

Et tua Te *Virtus*, & Te *Pater* excitat: euge!  
Non humileis talpas lynx oculatus alit.

Te mirabuntur Doctorum Lumina; dicent:

Hic Vir, hic est studiis, moribus, ore *Pater*!

SUPREMO Sque GRADUS non lentus ADIBIS HONORUM,

Quos dare Cultori suevit amica Themis.

TE FERET, ECCE, suis sublimem \* PEGASUS alis,  
Nec tuus in terris emorietur honos.

Tantus ERIS! ceu COR vero DIVINAT amore:

Fiat! ut ex animo dulcia vota fluunt.

Prosper age; Vt referas aniMoq Ve aC Corpore sano  
Nestora: fortVnIs annVat Ipse DeVs!

E museo, a. d.  
VII. Octobr.

\* Digitum heic intendimus in Doctœ Gentis Pagenstecheridum insignia, præ se ferentia Pegasum (quem ex Medusæ sanguine procreatum, unguisque sue iætu in Helicone monte ex saxo fontem elicuisse fabulantur Poëtae: ) i. e. equum aligerum, tribus acrifoliis stimulatum. Immo & respeximus elegantissimum Nostri Sermonem panegyricum, de Pegaso Celebri J Cto, sub Vespasiano Urbi præfecto, a. d. XI. Kal. Quintil. 1727. certa occasione dictum Hammonæ Westphalorum, ac postea typis publicis descriptum insertumque tertiiis Ejusdem curis in Libr. III. Pomponii ad Sabinum.

V I R O

Excellentissimo &amp; Consultissimo

D. HENRICO THEODORO  
PAGENSTECHERO,

A. A. F.

Juris utriusque Provinciam  
habita OrationeDe PUTEALI LIBONIS  
auspicanti

## E L E G I A.

ET dubitet quisquam, quanto Tibi munere Pallas  
 Pectoris immensas accumularit opes?  
 Arma Pericleæ quatientem grandia Suadæ  
 Vidimus Actæi tintæ lepore favi.  
 Vidimus ingenti Neleïa flumina tractu  
 Leniter, & blando detinuisse sono.  
 Tersa Charis, teretes numeri, genuina Venustas,  
 Et Lepor has gazas ipsaque Suada dabat.  
 Canaque Simplicitas, & nectar amabile morum,  
 Et Candor, qualem Roma vel Hellas amet.  
 Et Gravitas hirtis ignota Catonibus olim,  
 Semper & excellens Integritatis honor.  
 Scilicet ingenuas adeo coluisse per artes  
 Pectus Hyantæis floribus omne juvat!

Ipse

Ipse quidem dignus fueras, qui flumine puro,  
     Qui raperes numeris Saxa ferasque Tuis.  
 Crede mihi, plus est, quam quo modo Saxa feræque  
     Tacta, vel Oceanæ commoveantur aquæ,  
 Vel genus omne feris, Saxove simillima turba;  
     Sat dictis homines obstupuisse Tuis.  
 Nominis æterno PAGENSTECHERE tropæo  
     Mansuræ clarum laudis adeptæ jubar.  
 Auctæ simul patriis & avitis dotibus Hæres,  
     Totque domi stimulos, quis fodiaris, habens.  
 Pulveribus caries nullis, & edacibus Ævi  
     Dentibus hanc laudem ruga senilis aret.  
 Plenus ut ingenio, sic plenus imagine Patris  
     Progredere, & cultu divite profer opus.  
 Progredere & valido vibrans nova tela lacerto  
     Barbariæ jugulum, quæ fremit usque, feri.  
 Corruptrixque facri raucis clamoribus Æqui  
     Dente retundatur dente proterva phalanx;  
 Ut Verum Falso, justum dominetur Iniquo.  
     O quantum est, tanto pectoris igne rapi!  
 Magnæ mentis opus, nebulas dispellere rerum,  
     Et bene dispulsis prendere Vera strophis.  
 Non nitet in foveâ Titan & amabile sudum;  
     Calfacit interdum, non penetrare potest.  
 Non cadit in vilem vis nobilis illa popellum,  
     Non jacet in putri gemma relicta situ.  
 Sancta nec integro Prudentia concolor Æquo  
     Turpiter in stabulis pro meretrice sedet.  
 Astutus quanto Sapientibus intervallo  
     Diffidet, adflatis candiore polo!  
 Quod quis novit, amat; cognoscere scilicet æquum  
     Quid nisi discutere est jura bilance pari?

Exulat

Exulat hinc odium, favor exulat omnis, & ira,  
     Et timor, & vitiis cæca cupido suis.  
 Extra se positus, non se considerat Æquus;  
     Nec gravat invidiæ crapula pectus hebes.  
 Este Sacerdotem Themidis, pretiosius omni  
     Dote, nec illoto laus adeunda gregi.  
 Dicere, quod sentis; sentire, quod æthere dicis  
     Teste, nec eloquio dissimulante, parum est?  
 Cumque sit hic totus persona vel histrio Mundus,  
     Jus bene nativâ reddere fronte, parum est?  
 Auxilium misero, viduis relevamen & ægris  
     Porgere, nequitiæ demere tela, parum est?  
 Cornua Tartareæ perfringere fortiter Hydræ,  
     Herculis & ritu monstra domare, parum est?  
 Hæc sacra est Pietas, cultusque domesticus hic est;  
     Hic tenor, hoc sanctæ religionis opus.  
 In pravi speciem qui Justum flexerit, illi  
     Pagina cælestis dira minata fuit.  
 Bella gerant alii, quibus est ea cura, piique  
     Fortiter in patriâ pro patriaque cadant.  
 Pro patriâ voluisse mori bene, maxima laus sit,  
     Vivere pro patriâ non minus esse puto.  
 Sanctius est aliquid, facilè ut videatur ineptis,  
     Æqua tot innumeris reddere jura Reis.  
 Hoc Aram docuisse volunt, Putealque Libonis,  
     Et facrum tacita religione locum.  
 Nam quotus indulget stolidis affectibus amens,  
     Ebrius & lucri turpis amore calet?  
 Has inter nebulas, hos inter mente Vapores  
     Jus amer, exerto quo prius ipse cadat?  
 Absit, ut astra solo miseri, quadrata rotundis,  
     Aspera credamus lævibus apta fore.

Absit

Absit in æternum! ne turba levissima simus,  
 Et pravis stultâ credulitate pares.  
 Jus unum est, una est pietas, color omnibus unus  
 Insitus; & Justum simplicitate patet.  
 Eminent in medio; sed sic tamen, impia prorsus  
 Ut nihil in medio cernere turba queat;  
 Nil queat aut cupiat; tanta est vesania morbi,  
 Tanta sitis pravi pectore, tanta fames.  
 Ergo sacrâ coram pompâ Venerabilis Aræ  
 (Si modo quid secum ponderis Ara trahit)  
 Dicere jura reis Veteres voluere Quirites,  
 Janus ubi tectos non sinat esse dolos.  
 Ipsa loci facies terrebat, & ipse paratus  
 Harpyias, quarum carpitur ungue miser.  
 Talia Cecropii PAGENSTECHERE leporis  
 Flumine, densa cohors dum bibit aure, doces.  
 Flos delibatus populi Tibi plaudit amico  
 Murmure, promenti divitis oris opes.  
 Eminent ingenuis Patriæ nova gloria Suadæ  
 Vocibus, & puro gurgite lota Charis.  
 Addita jucundæ nativa Lubentia fronti,  
 Quos vox invitat, blandius ipsa trahit.  
 Jam Pater in Nato est, jam spirat, & ipsa sepulchro  
 Offa calent, urnâ jam cinis ipse suâ.  
 Idalias Aquilæ nunquam peperere columbas,  
 Non Lea degenerem Marsa per antra lupum.  
 Fama paterna Tibi stimulis calcaria subdit  
 Adjiciens acres ad nova gesta faces.  
 Quale Neoclidæ pungebat adorea pectus,  
 Fixaque Miltiadis sancta tropæa manu:  
 Qualis Alexander magni virtute Philippi  
 Excitus insomni membra calore rotat;

E

Talis

Talis *Alexandri* proprioris imagine tactus  
Nobile certamen cum Patre Natus inis.  
Invidet haudquaquam; faveit ipse; domestica laus est.  
(Non cadiis in magnos, Livor inepte, viros.)  
Ipsa recordatur Clivensis amabile Pallas  
PAGENSTECHERI pectus & ora sui,  
Et Veneres priscas, globulosque papavere sparsos,  
Tinctaque nativo mellea dicta favo;  
Quæque Patri quondam, tangantur pulpita Nato,  
Et chorus unanimi murmure plaudat, ait.

L. M. Q.

JOHAN. HILDEBR. WITHOFIUS  
Historiar. Eloquent. & Græc. Ling.  
Profess. Ordinar.






Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1689987529/phys\\_0043](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1689987529/phys_0043)

DFG









## A U G U R A L T I S.

3

inquit, *judici non de ipsis, sed  
iudicare licebit.* Apud Roma-  
niter jurare debebant, ex animi  
dum leges se judicaturos, ple-  
nam, in Comitio positam, quae  
ONIS dicebatur.

est, Audd. O. O. H., idem illud  
, cuius nunc quidem rationem  
onere, in animum induxi meum.  
nc mihi a Patribus Academiae  
tinatam atque ab Augusto ac Po-  
SE, REGE ac Domino nostro  
issimo, Clementissime deman-  
ocendi dicendique provinciam  
mni jurejurando suscepi; Si res  
tum variarum observationum  
a, tum propter venerandam An-  
time commendabilis, non vi-  
od argumentum aut huic diei,  
o, aut huic tam illustri Auditio-  
us esse queat? Vereor tantum,  
quis fortean jure merito teme-  
qui, post tot doctissimorum Vi-  
Scaligeri, Salmasii, Spanhemii,  
ardi, Perizonii, aliorumque ob-  
serva-

A 2

serva-

Image Engineering Scan Reference Date: TE203 Serial No: